



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 104. Responsum Pontificis ad Hispaniæ Regis mandata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

tes pertrahere studeret: verum ambo
oleum operamque perdiderunt.

§. CIII.

*Melitenfis Orator Tridentum adven-
tans.*

Sub idem ferme tempus Tridentum
venerat Melitenfis Orator, ubi circa
loci prærogativam quædam rursus con-
tentio oriebatur.

§. CIV.

*Responsum Pontificis ad Hispania
Regis mandata.*

*Pallav. c. 10.
num. 3.*

*Vertot. hist.
de Malte
tom. 3. l. 12.
pag. 415.*

Cum exigua hæc altercatio fieret,
interea summus Pontifex Ludovico
Avilæ supremo Alcantaræ Commen-
datori, qui a Philippo Hispaniæ Rege
ad Papam decretus erat, respondit
hujus autem mandata sequentis erant
tenoris: Pontifici sedulo exponeret ea
omnia, quæ Rex in Synodi favorem
egisset, ac quod plurimum Hispaniæ
Nationis interesset, ut nihil ibidem au-
ctoritati Regiæ, aut subditorum com-
modo noxium decidatur: Rex vero
Ecclesiasticorum morem emendari, ac
plurimos abusus non sine Religionis
dedecore irrepentes tolli percuperet,
simulque peteret, ut in decisionibus
hæc clausula proponentibus Legatis dele-
retur, de cetero autem Rex Catholi-
cus

cus spondebat, quod omnino prohiberet, ne quicquam contra justam & legitimam summi Pontificis Sanctæque Sedis auctoritatem attentetur. (*)

Sæcl. XVI.
A. C. 1563.

§. CV.

Hujus clausulæ: proponentibus Legatis, æquitas a Pontifice vindicata.

Ad hæc Pontifex in publico Patrum confessu die vigesima octava Martii hunc in modum respondit: „Synodum nunquam inchoassem, nisi Regis Catholici patrocinio suffultus fuisssem, qui se Concilii Protectorem, ac Sacræ Sedis, ejusque auctoritatis defensorem futurum sponderat: cum autem ante hanc diem Oratorum nullus advenerit, haud mirum videtur Majestati vestræ, quod Hispaniæ Episcopi hucusque Sedis Apostolicæ jura defendere neglexerint; quippe Piscarius Marchio Tridentum vix pedem intulerat, Lunensis vero Comes nonnisi ipsius expectatione Patres fatigabat, cum tamen, si Hispaniæ Nationis Orator Sacræ Sedi propensus, ac muneris sui partes adimplere studiosus adfuisset, certe Hispaniæ

Pallav. l. c.
Sarp. l. 7.
pag. 667.

N 4 Præ-

(*) Quantum diversa ab iis, quæ Continuator refert, mandata Rex Catholicus dedit, Lector ex ipso Pallavicino haurire poterit lib. 20. cap. 10. num. 5.